

non est ponendum tale sacramentum pro aliis statibus.

LXXVI. Respondetur illud sacramentum pro peccatis actualibus fuisse necessarium necessitate medii, ut ex doctrina S. Thomæ supra allata colligitur; et consequenter necessitate præcepti, quia omne medium necessarium in præcepto est. Hoc autem non est ex natura gratiæ præcise consideratæ, nec ex aliqua peculiari institutione a Deo immediate facta, sed ex gratia ut redemptiva. Ex hoc enim sequebatur eam convenienter transfundi non posse, nisi per aliquam protestationem externam illius, ex qua dispositio illa contritionis sacramentaliter ad mediatorem dirigebatur; qui sicut corporeus apparere debebat, in corporeis signis protestari, et ejus fidem applicari decebat.

LXXVII. Ad confirmationem dicitur obligasse susceptionem sacramenti illius, sicut et alia affirmativa præcepta, scilicet semper, sed non pro semper; peculiariter vero obligare poterat tempore necessitatis urgentis, et mortis, et si quo alio tempore a republica seu Ecclesia determinaretur. Quod autem dicitur speciale sacramentum esse legis novæ, dicitur speciale sacramentum novæ legis esse pœnitentiam eo modo quo fit (scilicet, secundum vocalem confessionem factam virtute clavium) at vero sacramentum pœnitentiæ alio modo (scilicet, in aliquibus sacrificiis, aut aliquo alio signo, quo saltem in generali se peccatorem quis protestaretur, et ita indigere, et sperare redemptorem pro illo peccato) hoc commune est etiam aliis statibus a lege nova.

LXXVIII. Ex dictis colliges in sacramentis ordinatis ad deletionem peccatorum actualium in adultis fuisse necessariam contritionem et

fidem, nec sacramenta illa fecisse ex attrito contritum; hoc enim solum est proprium sacramentorum novæ legis, ubi abundantior gratia ex virtute passionis Christi sacramentis communicata effunditur. Sacramenta autem vetera ex se non habebant virtutem activam justificandi, sed tota refundenda erat in dispositionem susipientis: ergo requirebatur ad hoc contritio, et non sola attritio. At vero in sacramento ordinato ad deletionem peccati originalis non requirebatur fides aut contritio, sive ex parte offerentis parvulum, sive ex parte adulti susipientis, nisi forsitan mortali peccato alias esset adstrictus.

LXXIX. Etenim originale peccatum, sicut propria voluntate non contrahitur, ita nec propria voluntate detestandum est, sed secundum fidem Ecclesiæ et Christi, in qua incorporamur. Unde dicit S. Thomas infra, quæstione LXXXVI, art. II ad primum, quod quia peccatum originale consistit in deordinatione habituali, non actuali, non remittitur per actualem immutationem, sed per habitualement infusionem gratiæ. Actualis vero, quia per actualem deordinationem committitur, requirit in adulto (etiam in baptismo) actualem immutationem. Sic dicendum de sacramento illo legis, non ordinato ad deletionem originalis.

DUBIUM TERTIUM.

UTRUM PASSIO CHRISTI FUERIT CAUSA EFFICIENS SACRAMENTORUM ET GRATIÆ ANTIQUORUM PATRUM?

Conclusio est negativa.

LXXX. Quæ satis insinuat a D. Thoma in præsentis articulo ad primum. Cum enim posuisset argu-

mentum: « Quod passio Christi comparatur ad sacramenta ut causa efficiens, utpote cum per sacramenta applicetur ejus passio; ergo sacramenta non potuerunt esse ante Christum, » respondet sanctus doctor: « Quod passio Christi est causa finalis veterum sacramentorum, quæ ad ipsam significandam sunt instituta: causa autem finalis non præcedit tempore, sed solum intentione. » Igitur negat S. Thomas passionem Christi esse causam efficientem illorum sacramentorum, alias non solveret argumentum.

LXXXI. Potest autem hæc conclusio intelligi in duplici sensu. Primus est, an passio Christi ante realem sui exhibitionem effective concurrerit ad justificationem per sacramenta vetera dandam, sive sacramenta illa virtutem activam ad id acceperint a passione Christi, sive non; hoc enim tractabitur infra quæstione sequenti. Alius sensus est, quod passio Christi in re exhibita sit causa efficiens gratiæ antiquorum patrum, et assumat pro instrumentis talis gratiæ fidem, et vetera sacramenta patrum; quæ virtute saltem in ipsis manebat.

LXXXII. Secundo notandum est, quod ut docet S. Thomas III parte, quæstione XLVIII Christi passio operata est salutem humanam, et per modum satisfactionis, et per modum sacrificii, et per modum redemptionis, et per modum efficientiæ, tamquam Dei virtus, et instrumentum ei unitum. Ea autem quæ causant moraliter, cum non moveant nisi mediante cognitione et acceptatione et æstimatione, cognitio autem extendat se ad futura et præterita, non est difficile intelligere, quod id quod est causa moralis, influat etiam antequam sit, mediante scilicet cognitione. De causalitate vero efficiente dubium est, quomodo passio Christi illam habuerit in om-

nes homines; et an comprehenderit etiam gratiam antiquorum patrum.

LXXXIII. Dicimus ergo, quod antequam esset exhibita in re passio illa, physicum influxum et efficientiam virtutis non habuit in illam gratiam et sacramenta; post exhibitam vero passionem physicum influxum habuit in gratiam antiquorum patrum, et in consummationem ejus, sed non in sacramenta. Prima pars patet, quia causa efficiens, sive instrumentalis, sive principalis, non potest operari antequam sit. Principalis quidem, quia operatur effective in quantum est in actu et per formam propriam, quatenus est in rerum natura; si quidem operari sequitur esse, et activitas ex actualitate procedit. Quamdiu ergo non habet esse aliqua causa, non potest operari. Instrumentalis etiam patet, quia operatur ut mota a causa principali; quod autem movetur est actu, quia motus est in subjecto suscipiente illum; accidens autem non recipitur nisi in ente in actu.

LXXXIV. Confirmatur, quia quamdiu res aliqua non habet esse in rerum natura, solum potest habere esse in intellectu: ergo non poterit causare secundum esse in rerum natura, sed secundum esse in intellectu, hoc autem est causare moraliter, et non physice.

LXXXV. Secunda pars probatur, quia passio Christi, post exhibitionem suam est universale principium gratiæ in natura humana, et influit omnem gratiam, quæ in natura humana reperitur: ergo debet habere influxum in gratiam antiquorum patrum, eumque efficientem et physicum. Esset enim diminutum caput, si in quædam membra physice influeret gratiam (videlicet in ea, quæ post ejus passionem fuerunt) non vero in ea quæ ante ipsum. Item, quia consummavit effective gratiam pa-

trum, effective causando in eis gloriam: ergo etiam effective influit in gratiam eorum, sicut in consumptionem talis gratiæ.

LXXXVI. Confirmatur, quia conservatio effectus in esse optime intelligitur per influxum effectivum in ipsum. Cum ergo Christus Dominus conservet gratiam patrum, tamquam universale quoddam principium gratiæ in natura humana, oportet quod effective illam influat. Et non est inconveniens intelligere, quod gratiam, quam Deus effecit se solo sine instrumentis, conservet postea medio instrumento humanitatis Christi Domini: sicut si quis teneat manu immediate tabulam, potest illam postea tenere mediante forcipe; et eadem lux, quæ producta est ab una lucerna, potest conservari ab alia, si in instanti quo una extinguatur, alia accendatur.

LXXXVII. Tertia pars patet, quia sacramenta antiqua cessarunt in passione Christi; illa vero quæ ante passionem ministrabantur, non erant elevata ut instrumenta Christi; alias pertinerent jam ad sacramenta legis novæ, quæ operantur in virtute Christi; et multo minus virtus aliqua sacramentorum relicta in animabus patrum, elevata est a Deo ut instrumentum gratiæ et gloriæ eorum, cum ad id nullum fit fundamentum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA:

LXXXVIII. Sed objicies primo: Resurrectio Christi Domini est causa efficiens resurrectionis nostræ, quæ erit in die judicii, quia licet habeat distantiam temporis et loci respectu resurrectionis nostræ, virtute tamen divina attingit contractu virtuali omnia loca et tempora, ut ait S. Thomas tertia parte, quæst. LVI, art. 1 ad tertium; ergo similiter passio Christi

virtute divina attingit omnia tempora et loca virtute divina: ergo et tempora præterita et futura; et sic antequam esset in re præsens, poterat efficienter operari virtute divina.

LXXXIX. Confirmatur, quia non minus est in re quod est futurum, quam quod est præteritum: sed præteritum potest efficienter agere virtute divina: ergo et futurum. Minor patet, nam resurrectio Christi agit in tempora distantia, et in loca distantia virtute divina; ergo præteritum agit virtute divina. Sed dices, quod illud præteritum agit ratione virtutis, quam relinquit in humanitate Christi. Sed contra, nam virtus illa relicta est præsens, et sic non attingit omnia tempora: ergo illa quæ attingit tempora et loca etiam distantia, non est virtus modo relicta, sed illa quæ ante facta est.

XC. Respondeo, expresse in illo loco dici resurrectionem Christi causam efficientem, in quantum humanitas Christi, quæ resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius. Quare resurrectio non secundum quod jam non est actu, sed secundum suum effectum (scilicet, secundum humanitatem resuscitatam) operatur effective. Quod autem attingat omnia loca et tempora, non est quia jam non existens attingat futurum, aut quia futurum attingat quod est præsens, sed quia illa virtus pro omni tempore applicatur a Deo, et pro omni loco, secundum scilicet quod tempori coexistit aut loco (licet non prout commensuratur illi loco, sed illi coexistit) quia scilicet humanitas resuscitata pro omni illo tempore durat; et sic resurrectio passiva manens in humanitate causat pro omni tempore.

XCI. Ex quo solvitur confirmatio, præteritum enim agit efficienter, non in quantum præteritum, sed in quantum præsens est per suam vir-

tutem aut effectum, qui ex eo quod permanet pro omni tempore, divina virtute ad omnia tempora, in quibus permanet, applicari potest.

XCII. Secundo objicies: Passio Christi efficientiam habet modo in gratiam antiquorum patrum; ergo et a principio habuit, quando illa gratia primum producta est; hoc autem fuit ante ejus realem exhibitionem: ergo. Prima consequentia probatur, nam non potuit incipere habere influxum in gratiam jam productam: ergo si habet modo influxum efficientem, a principio talis productionis illum habuit. Antecedens patet, quia gratia jam producta, non potest de novo pendere ab aliqua causa efficiente, a qua ante non pendebat, quia hoc esset exire et procedere a causa a qua ante non procedebat: hoc autem repugnat, quia quod est jam in rerum natura, non potest iterum procedere ab alia causa: ergo neque pendere ab illa in esse, et consequenter neque influxum habere ab illa efficienter.

XCIII. Respondeo negando primam consequentiam, et ad probationem negatur antecedens. Ad cuius probationem respondetur, quod gratia semel producta non potest de novo ab alia causa efficienti principali pendere, quæ distincto influxu concurrat; bene tamen ab alia causa instrumentali, quæ non distincto influxu concurrat a principali, sed eodem sibi communicato.

XCIV. In quo deficit exemplum de lucerna supra allatum; lucerna enim quæ de novo producitur, non simul cum alia influit in lucem, alias penderet idem effectus numero a duabus causis totalibus ejusdem ordinis et generis. In presenti autem, causa quæ ante influebat gratiam (scilicet Deus) etiam post passionem Christi influit; sed passio Christi incipit de novo influere ut instrumentum divinitatis, unde non

distincto influxu facit a se pendere et procedere gratiam patrum, sed eodem causæ principalis sibi communicato. Præterquam quod non est certum, extincta lucerna aliam numero productam in eodem instanti conservare lucem, quæ a præcedenti producebatur, cum ista ab alia numero causa procedat, a qua pendet in fieri et conservari: ergo sicut non manet idem fieri lucis, sic nec idem conservari.

XCV. Sed quidquid sit de hoc, in præsentem dicimus, quod eadem gratia antiquorum patrum quæ antea non pendebat, nec procedebat ab humanitate Christi ut instrumento, modo procedit et pendet, non tamen secundum novum influxum aut novum procedentiam, sed secundum novum influxum Dei, mediante tamen illo instrumento communicatum. Unde non est novum fieri gratiæ, nec novum conservari, sed idem alio modo communicatum, sicut eundem motum aquæ quem homo operabatur manu sola, potest operari manu armata, vel vestita, aut instrumento manui applicato; sic quod Verbum Dei secundum naturam divinam communiter cum Patre, et Spiritu sancto influebat vestitum humanitate, influit applicando influxum media humanitate ut instrumento.

XCVI. Tertio objicies: Objectum non existens, sed adhuc futurum efficienter causat intellectionem, seu speciem intelligibilem concurrando cum intellectu agente; similiter efficienter influit in voluntatem, et non solum moraliter, seu media cognitione, sed physice: ergo non repugnat rem futuram efficienter ad aliquid concurrere, et consequenter assumi ut instrumentum divinitatis.

XCVII. Confirmatur, nam secundum D. Thomam tertia parte, quæstione XLVIII, articulo ultimo, Chri-

stus per modum efficientiæ causat omnem humanam salutem: ergo et hominum omnium salutem: ergo etiam gratiam antiquorum patrum, alias non causaret effective omnem salutem humanam.

XCVIII. Respondeo objectum futurum entitative, esse intelligibiliter et intentionaliter præsens; unde mediante tali cognitione præsentem operatur effective; physica autem efficientia intelligibilis et intentionalis, non requirit objectum entitative præsens, si quidem objectum quantumcumque entitative præsens sit, non operatur in voluntatem per suam entitatem, sed per suam cognoscibilitatem, et speciem relictam in potentia tamquam semen ejus intentionale, ubi objectum ejus præsens est intentionaliter: ergo sive objectum entitative sit, sive non, parum refert ad efficientiam in voluntatem aut in aliam potentiam. Neque efficientia ista moralis est, sed etiam physica, quia cognitio ipsa, et si intentionaliter continens objectum, physica tamen perfectio et virtus et actus intellectus est; unde physice movere potest, et agere in potentias mobiles a se. Id tamen quod est physicum respectu unius, est morale respectu alterius; physice enim se habet ad potentias movendas intra se, moraliter autem respectu exterioris effectus; et sic objectum cognitum non effective se habet respectu rei exterioris, et si efficientiam habere possit in voluntate; sicut etiam id quod in genere causæ finalis realiter causat ut finis apprehensus, in genere efficientis non realiter causat, sed moraliter, quia non influendo realiter et physice, sed cognoscitive et intentionaliter ad rem extra comparatur.

XCIX. Objectum autem ipsum extra manens, aut propositum, non effective movet, sed objective, aut is a

quo proponitur moraliter; effective autem non objectum, sed agens eliciens ab objecto species movet; et proponens monet moraliter, id est, media cognitione alterius, et non per efficientiam physicam in ipsum. Ipsa tamen cognitio movet physice voluntatem; moralis enim motio ad physicam et realem reducenda est, et in illa fundari debet, alias nullum realem effectum unquam haberet, cum tamen habeat, videlicet, amorem aut odium, et alia similia.

C. Ad confirmationem respondetur S. Thomam intelligi de efficientia in omnem humanam salutem, non tamen antequam esset exhibita illa passio, sed post exhibitionem suam; ante vero solum erat causa finalis, ut in præsentem articulo docet; aut moralis, ut in aliis articulis quæstionis XLVIII. Et hoc satis insinuat S. Thomas ibi solutione ad tertium, ubi docet: « Quod passio Christi, secundum quod comparatur ad divinitatem ejus, agit per modum efficientiæ: » ergo quamdiu non est comparata ad divinitatem ejus, quia non est assumpta, non agit per modum efficientiæ.

CI. Quarto objicies: Christi passio prævisa fuit instrumentum et medium divinitatis ad salutem antiquorum: ergo et efficientiam instrumentalem habere potuit. Item etiam fuit redemptiva antiquorum patrum etiam ante sui exhibitionem: ergo et effective, si quidem redimere efficere est.

CII. Confirmatur ex illo Rom. III: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, aut ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum, etc.* ergo respectu peccatorum antecedentium propositus est Christus propitiator in sanguine suo: ergo et virtute sua, et in efficientia sua. Et simile quid potest

colligi ex illo Apocal. XIII, ubi dicitur: *Agnus occisus ab origine mundi:* ergo passio ejus ab origine mundi efficientiam habuit.

CIII. Confirmatur secundo: Christus ante exhibitionem passionis fuit causa meritoria gratiæ antiquorum patrum: ergo et effective. Antecedens patet, quia ex meritis Christi gratia illa data est patribus, alias non habuisset influxum aliquem in illam gratiam tunc, quando data est. Consequentia vero probatur, nam causa meritoria non potest esse post præmium, sed debet illud antecedere et effective attingere; ideo enim Thomistæ dicunt non potuisse Christum Dominum mereri incarnationem jam sibi datam per subsequentia merita, quia meritum non potest esse post præmium; ergo similiter si Christi passio fuit meritoria gratiæ antiquorum patrum, debuit habere efficientiam in illam, et antecedere instrumentaliter efficienter illam.

CIV. Respondeo passionem Christi prævisam solum fuisse medium morale, et instrumentum morale divinitatis, non vero efficiens physicum, quia nondum erat exhibita: quod autem fuerit redemptiva, non facit ipsam efficienter se habuisse, quia non erat redemptiva in re exhibita, sed quasi sub fidejussione; et sic dabatur gratia patribus antiquis sub spe pretii (al fiado) unde moraliter solum redemptiva erat, et concurrebat tunc.

CV. Ad primam confirmationem dicitur, locum Pauli intelligendum de propitiatione facta respectu præcedentium delictorum, vel moraliter et mediante fide ante exhibitionem talium meritorum, vel physice et efficienter post exhibitionem, quia tunc ut instrumentum divinitatis causabat gratiam remittentem præcedentia delicta, et ut reale pretium omnem obligationem solvebat. Il-

lud autem Apocalyp. XIII, non est necesse intelligi de reali efficientia, sed de morali; vel (ut D. Thomas intelligit ad Hebræos IX, lect. V, et cap. XII, lect. IV) intelligitur: *Occisus agnus ab origine mundi,* quia in figuris occisus est, seu præfiguratus occidi; non realiter, nec secundum realem efficientiam.

CVI. Ad secundam confirmationem respondeo, causam meritoriam in re exhibitam, et secundum causalitatem efficientem in re non antecedere præmium; secundum causalitatem tamen moralem posse antecedere, secundum quod ex meritis prævisis aliquid confertur; præsertim quando merita sunt finis illius, quod propter merita datur; sicut in præsentem contingit, quia passio Christi et incarnatio est finis gratiæ antiquorum patrum; causa autem finalis in intentione antecedit effectum suum, et antequam in re sit exhibita. Et ideo dicitur a D. Thoma hic: « Quod passio Christi fuit causa finalis veterum meritorum. »

CVII. Itaque meritum respectu ejus quod quis meretur, potest se habere dupliciter, uno modo ut dispositio merentis ad illud præmium, et ut via et assecutio ad illud: alio modo se habet ut finis, et præmium se habet ut effectus tali meriti; sicut gratia nostra respectu Christi et meritorum ejus. Quando primo modo se habet meritum, non potest subsequi præmium, sed prius debet esse meritum quam præmium; sicut non potest prius esse beatitudo in nobis quam meritum illius; nec prius incarnatio, quam meritum incarnationis, cum potius incarnatio sit principium merendi, et omnis meriti: si vero daretur prius tale præmium, quam meritum, non haberet rationem præmii antequam meritum exhiberetur, sed gratis intelligeretur dari pro illo tempore,

quo non solum meritum ponitur. CVIII. Quando autem secundo modo se habet meritum, bene potest dari prius id, quod meretur intuitu talium meritorum prævisorum, quia cum sint finis, agunt ex prævisione, et sufficit quod sint priora in intentione, et ita sufficienter influunt meritorie moraliter quando sunt prævisa, quia non influunt meritorie dispositive, et ut via ad præmium, sed meritorie finaliter, seu ut finis ejus, quod per meritum datur; non tamen efficienter tunc concurrunt physice, cum non sint physice in actu.

ARTICULUS IV.

Utrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta?

Conclusio est affirmativa.

I. Quam in corpore articuli sic explicat S. Thomas, ut non solum probet post Christum esse sacramenta, sed quod distincta sint a sacramentis antiquis. Quod enim post Christum sacramenta debeant esse patet, quia sicut antiqui patres salvati fuerunt in fide Christi venturi, sic et nos modo salvamur per fidem Christi jam nati et passi; sacramenta autem sunt signa protestantia fidem, in qua justificamur: ergo oportet modo esse talia signa; et consequenter sacramenta. Secundum etiam, scilicet, quod distincta sint sacramenta, probat S. Thomas, nam sacramenta sunt signa; sed alia sunt signa rei futuræ, alia rei præteritæ, aliter enim res annuntiat facienda, aliter facta; unde et ipsa verba passurus et passus, non similiter sonant. Et similiter alia sunt signa prognostica, quæ respiciunt futurum, alia rememorativa, quæ respiciunt præteritum: ergo

oportet alia esse sacramenta in nova lege, quæ respiciunt Christum jam præcedentem; alia in lege veteri, quæ respiciebant Christum venturum.

II. In his duobus nota duo, quæ supra jam insinuavimus. Primum est, quomodo S. Thomas semper probet necessitatem sacramentorum ex ordine ad Christum, et non ex ordine ad gratiam, cum tamen gratia sit præcipuum eorum significatum. Et ratio hujus est, quia necessitas gratiæ magis se extendit, quam necessitas sacramenti, utpote cum gratia pro omni statu justificationis (etiam in qua non essent sacramenta) necessaria sit ad justificationem, utpote cum sit forma intrinseca sanctitatis. At vero sacramenta, cum sint media ad acquirendam gratiam, oportet necessitatem talium mediorum non ex ipsa gratia præcise, sed ex modo quo datur talis gratia ostendere. Datur autem gratia per Christum, et non aliter: ergo optime probat S. Thomas necessitatem sacramenti ex necessitate protestationis fidei Christi, non ex ipsa necessitate gratiæ, quæ tamquam forma justificationis necessaria est. Et quia Christus sensibiliter apparuit, congruenter fit applicatio per sensibilia media et signa.

III. Secundum quod debet adverti est, quod in sacramentis est per se respicere Christum ut venturum, vel ut jam præsentem seu natum, licet hoc non sit per se in ipsa fide, et ratione formali ejus, quia scilicet cum sacramenta dentur ut signa, et non ut ratio credendi, per se respiciunt venturum, aut præteritum; fides autem solam primam veritatem revelantem. Unde et signa recte dividuntur in prognostica et demonstrativa et rememorativa, non fides. Quare nunquam potuit idem sacramentum servire pro signando, et protestando Christo ut venturo et ut

præsentem, et ita abstrahere a præsentem et futuro, sicut dicebat Cabre-
ra; sed sicut sunt diversi status, ita et diversa signa, et signum quod est prognosticum, non potest esse rememorativum respectu ejusdem, et sub eadem ratione, nec potest abstrahere ab utroque, cum de ratione signi determinati sit, ut aliud sit pro futuro, aliud pro præterito, sicut hic dicit S. Thomas ex Augustino.

IV. In responsione ad secundum et tertium, ostendit S. Thomas excellentiam nostrorum sacramentorum supra sacramenta antiqua, quæ in duobus consistit. Primo, in significatione expressiori gratiæ et Christi, et hoc explicat solutione ad primum: secundo, in causalitate et continentia gratiæ, quæ non conveniebat illis sacramentis, quæ erant egena et vacua elementa, et hoc explicat solutione ad secundum. Quod in nostris sacramentis sit expressior significatio patet, quia illa antiqua solum fuerunt: *Umbræ futurorum bonorum*, ad Hebr. x, nostra autem sacramenta sunt: *Exemplaria verorum, et ipsa imago rerum*. Et hoc congruenter, nam fides est magis explicata in hac nova lege quam in veteri: ergo et sacramenta convenientia tali statui fidei debent esse magis explicata, et expressius significantia.

V. Et præterea (quia ut dicit hic S. Thomas ex Dionysio, v capite cœlestis hierarchiæ) status legis novæ medius est inter statum gloriæ, et inter statum legis veteris, et ita id quod figurabantur in lege veteri de Christo, et ejus gratia ac sacramentis, impletur et repræsentatur in nova. Quod vero in nova adhuc habetur per speculum et ænigma, in gloria habetur per speciem. Unde

in statu gloriæ nulla debent esse sacramenta, sicut nihil erit velatum et ænigmaticum; in statu vero legis novæ sacramenta esse oportet, sed non umbratica et figurativa, sed repræsentativa verorum. Unde per se loquendo nostra sacramenta sunt rei præsentis, et sacramenta veteris legis sunt per se rei futuræ: præsens autem magis expresse significabile est, quam futurum, quamvis per accidens possit dari imago perfecta rei futuræ.

VI. Ex quo etiam sequitur, quod materia sensibilis sacramentorum nostrorum perfectius est significativa, quam materia sacramentorum veterum, non considerata materia secundum se, et ratione significationis quasi naturalis, sed considerata ut subest motioni et institutioni divinæ; sic enim panis et vinum expressius Christum significant, quam agnus paschalis. Ex parte continentiæ et causalitatis gratiæ manifestum est excedere sacramenta nostra, ut Concilia dicunt, et clamat Scriptura, quia illa erant: *Vacua elementa*, ista vero sunt plena virtutis et efficacæ ex passione Christi derivatæ. Unde continent gratiam, non sicut subjectum continet accidens, sed sicut medicina continet salum, et calamus litteras. Causant autem gratiam ex virtute et motione humanitatis sacratissimæ Christi, et efficacia passionis ejus. Et propterea licet in veteri lege esset sacramentum, per quod sine opere operantis in parvulis dabatur gratia, tamen adhuc non continebat, nec causabat illa gratiam, quia non ex virtute sibi communicata id faciebat, sicut nostra, sed Deus ad præsentiam illius, unde non ita perfectum erat.